

In republica bene constituta etsi magnum onus sustinent, qui sedent ad imperii clavum, ipsi tamen, diuturno gubernaculi tractandi usu edocti, saepe professi sunt, haudquaquam sibi conflictandum esse tantis cum molestiis ac difficultatibus tum, cum omnia pacata sint & tranquilla, quantæ soleant incidere, cum forte graves populi motus perturbent omnia & summa imis miscere conentur. Illis enim temporibus, ubi in rep. viget & regnat una & consentiens omnium bonorum voluntas; magistratum omnis in eo versatur cura, ut pristina legum iudiciorumque valeat auctoritas: qua diligenter servata, manet inconcussa imperii forma & ratio a maioribus bene ac sapienter descripta. Sic, quieto mari & placido, gubernatores navium facile cursum tenent, quod ipsorum arti nulla ex transverso objiciuntur impedimenta, sed omnia tum recte atque ordine administrantur. At, exorta subito tempestate, procellisque & immensis fluctibus undique ingruentibus, (*) tum quidem multa

— — — Sine lege geruntur.

Bella gerunt venti fretaque indignantia miscent.

Ipse pavet, nec se, quis sit status, ipse fatetur

Scire ratis rector, nec quid jubeatve velitve.

Tanta mali moles, tantoque potentior arte est.

Ac similiter in rep. cum aliqua coorta est populi seditio & miscentur fluctus civiles, laborandum est magistratibus atque summa virium contentione dimicandum cum iis, qui vel occulta discordiarum semina spargunt, vel in audaciam projecti bellorum civilium faces ipsi preferunt, ac pessimis consiliis seque remque publicam perdere

(*) Ovid. metam. XI. 490.